

In his septem versiculis decātat Prophe-
ta historiā libri Iudicum, in qua narratur,
hebræos ob peccata sua, quibus Deum ad
iracundiam prouocabant, traditos fuisse à
Deo frequēter in potestatem hostiū, Moa-
bitarum, Ammonitarum, Philistinorum,
& aliorum: sed cum ad pœnitentiam redi-
erent, solitum quoq; fuisse Deum, excitare
virum aliquem strenuum, per quem libe-
rarentur, vt Iephthæ, Gedeonem, Sampsonē,
& alios. Versiculus 41. vbi dicitur, exacer-
bauerunt eum in consilio suo: non signifi-
cat in consilio Dei de liberandis hebræis, vt
multi existimant; sed in consilio ipsorum
Iudæorum, qui sæpe consilium inibant re-
cedendi à Deo: nam in hebræo habetur ex-
pressè, In consilio ipsorum. proinde illud,
suo, quod apud Latinos est ambiguū, expli-
candum est per textū hebraicum, vbi nulla
est ambiguitas. Vltimus versiculus, Et de-
dit eos in misericordias in conspectu om-
niū, qui ceperāt eos; duobus modis exponi
potest. Primum vt sensus sit, fecit Deus per
prouidentia suā, vt qui captiuos duxerant
hebræos, eorū miserentur, & vel relaxarēt,
vt fecit Cyrus, & Darius: vel benignè tra-
ctarēt, vt fecit Nabuchodonosor cū multis
hebræis. Ita exponit Theodoretus, sed exē-
pla huius misericordie non facile inueniē-
tur, nisi post tempora Dauidis. & præterea
Dauid dicit, in conspectu omnium, qui ce-
perant eos. non est autē verum, omnes qui
ceperant Hebræos, habuisse erga eos mise-
ricordiam, neq; ante tempora Dauidis, ne-
que postea. Videtur igitur probabilior sen-
tentia S. Augustini, quam etiam attingit
Euthymius, vt sensus sit, dedit eos in mise-
ricordias, id est, fecit cum eis Deus miseri-
cordiam, siue posuit eos in sinū miseri-
cordiæ suæ, in conspectu omnium qui ceperāt
eos. i. videntibus, & mirantibus iis, qui eos
ceperant; semper enim Deus tam euidenti
signo misericordie suæ liberauit populum
suum siue de Aegypto, siue de potestate
Moabitarum, vel Philistinorum, vel alio-
rum, vt ne hostes quidem negare possent,
Deum pugnare pro populo suo. reliqui
versiculi nullam habent difficultatem.

Saluos nos fac Domine Deus noster, XLV.
& congrega nos de nationibus.

Vt confiteamur nomini sancto tuo: XLVI.
& gloriemur in laude tua.

Benedictus Dominus Deus Israel à XLVII.
sæculo, & vsque in sæculum: & dicet
omnis populus, fiat, fiat.

Hæc est conclusio Psalmi, qua precatur
Deum Propheta, vt omnem populum fide-
lem congreget de nationibus, id est, redu-
cat omnes dispersos ad cœtum piorum, vt
omnes simul gratias agant Deo, eumque
laudent, & glorientur in laude ipsius. Exi-
stimant quidem aliqui, Dauidem loqui de
dispersione, & captiuitate Babylonica, quā
per spiritum præuidebat futuram. sed cre-
dibilius est, eum loqui de dispersione inter
gentes, quæ adhuc supererant in terra pro-
missionis, initio Regni Dauidis, aduersus
quas gentes multa ipse bella gessit, vt per-
spicuum est ex lib. 1. & 2. Reg. Cōcludit po-
stremò Dauid Deum laudans, & dicens,
Benedictus sit Dominus Deus Israel omni
tempore, vel potius in æternum. & omnis
populus confirmet benedictionem dicens,
fiat, fiat, siue Amen, Amen. Atque hic est
finis libri quarti secundum hebræos.

P S A L M. C V I.

Titulus, & Argumentum.

Alleluia.

Titulus est, Alleluia, quam vocem ce-
dices hebraici nunc habent in fine
Psalmi superioris. Sed Septuaginta
Interpretes posunt eam initio huius Psalmi,
quoniam ita in suis codicibus hebraicis inue-
nerunt. Rectè autem titulus Psalmi est, Alle-
luia, id est, laudate Dominum; quoniam in
hoc Psalmo laudatur primo misericordia
Dei, qua liberat homines à quatuor commu-
nibus miseris, quas paulò post enumerabi-
mus & idèò quater repetuntur duo versicu-
li, Clamauerunt ad Dominum cùm tribula-
rentur, & de necessitatibus eorum liberauit
eos. & Confiteantur Domino misericordia
eius,